6

DE MONUMENTO DILUVIANO

Nuper

In Agro BONONIENSI detecto

DISSERTATIO

IN QUA

Permultæ ipſius Inundationis Vindiciæ, a ſtatu Terræ Antediluvianæ & Poſtdiluvianæ deſumptæ, exponuntur

A

JOSEPHO MONTI.

In Hoc  *Omnia*

BONONIÆ STUDIORUM. MDCCXIX.

Apud Roſſi & Socios, ad Roſæ inſignia.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET EXCELSIS VIRIS
PATRIÆ SEX PATRIBUS
AMPLISSIMIS
POMPEJO HERCULANO
FRANCISCO MARIÆ SIGNIO
VINCENTIO BARGELLINO
CAROLO ALPHONSO MARESCALCO
ANTONIO BOVIO
ALEXANDRO MARSILLIO
SCIENTIARUM ET ARTIUM OMNIGENARUM
In BONONIENSI INSTITUTO
AD CIVIUM EXTERORUMQUE
USUM
NUPERRIME FŒDERATARUM
AC SPLENDIDIDISSIME EXCULTARUM
PRÆFECTIS FAUTORIBUS
ATQUE MŒCENATIBUS
CONSULTISSIMIS.
IN HUMILLIMI
OBSEQUII ARGUMENTUM
HÆC NATURÆ LIBAMINA
D. D. D.

J. M.

Digitized by Google

LIBELLUS hic meus, Ampliſſimi Excelſique Viri, ut de Univerſali Diluvio inſcriptus eſt, quia Monumenti, de quo agitur, cauſſæ, jam uſque a Diluvii tempore, exquiſitæ ſunt & deductæ; ita quoque aliis feliciore auſpicio ſiſti non poterat ac nuncupari, quam Vobis Præſtantiſſimi ſex Patres, qui ut omnium in hac Urbe digniſſimi, Patrio illi præeſtis Inſtituto,

ubi

Digitized by Google

ubi plura eidem conſimilia ſervari, non ſemel ſum admiratus. Hinc quemadmodum illa ſtudioſo, ut miranda excepiſtis animo, & curioſa excipienda admiramini, itidem ſperavi non alienam a vobis fore hujuſmodi memoriam, quæ unius tantum prototypi, pluribus graphice expreſſis iconibus, vobis omnibus, & ſingulis deferri poteſt commodius, & Orbi Literario communicari. Opuſculum autem, quod inde ſcriptum eſt, in tria capita diſpertior, de Terræ ſtatu Ante, & Poſt Univerſalem Cataclyſmum,

nec

nec non de ipſius Proluviei effectibus, Sapientiorum rationes ſimul innuens, & obſervationes, quas ſi pro tenui ingenio, atque ſtylo minus elaborato firmare non potero, & illuſtrare, eædem ſane firmabunt illuſtrabuntque, quod ſentio; præcipue, quum hiſce in pagellis, ipſe tantum brevi, & velut obiter omnia pertractando, meri Naturalis Hiſtorici magis, quam Phyſici, ac Mathematici vices agere conſultum duxerim. Porro, Ampliſſimi & Excelſi Viri, levidenſe hoc munuſculum, humaniſſimo accipere animo

ne

Digitized by Google

ne dedignemini, impenſe exopto, nec minus una mecum Naturam admirari, quæ alias corruptioni obnoxia, in propoſito ejuſdem Phænomeno lapideſcit, ut ſtabilior evadat, & perpetua; ita cum ipſe immortali omnium Veſtrum Nomini nequeam ſtabile, quod deberem tribuere argumentum, a lapideſcente Natura diſco ſummiſſæ devotionis perpetuo duraturum vovere teſtimonium, uti voveo, & Monumentum.

Quam

Digitized by Google

Quam magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.

Pſal. 103. 24.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MONUMENTO

DILUVIANO

In Agro Bononienſi detecto

DISSERTATIO.

CAPUT I.

De Statu Terræ Antediluvianæ.

MUndus Antediluvianus primo nos occupat, ut illo perſpecto, haud difficulter ſenſu apprehendamus Statum Poſtdiluvianæ Terræ, quam nunc habitamus, ac omnia ipſius phænomena perluſtremus. Sacer hiſtoricus Moyſes (*a*), Terræ creationem his paucis abſolvit:

(a) *Gen.* 1. 1.

Digitized by Google

In principio creavit Deus Cœlum, & Terram: quæ Sancti Spiritus oracula ita intelligenda eſſe ducimus. Ex nihilo creavit Deus T. O. M. materiam Cœli, atque Telluris in immenſo illo Chao aquarum, *ſuper quas ferebatur Spiritus Domini*
(a) Gen. 1. 2. (*a*). Ingens illa Abyſſus tota tenebris obducta extitit uſque ad lucis creationem,
(b) Gen. 1. 3. ac diviſionem (*b*), qua abſoluta, juſſit Deus, *ut fieret firmamentum in medio aqua-*
[c] Gen. 1. 6. 7. *rum, & aquas ab aquis divideret* (*c*): hac diviſione, non tantum aquas, ſed etiam materiam ſubtiliorem ad efformandum ipſum Firmamentum, Cœlum vocatum
[d] Gen. 1. 8. (*d*), diſtinctam, ac ex Chao extractam fuiſſe, opinamur. Alia porro, quæ ſuperavit materia craſſior, etſi ſegregatis prædictis ſupracœleſtibus aquis, in immani aquarum ſphæra ſubmerſa remanſit uſque ad tertiam creationis diem, in qua congregatæ fuerunt aquæ infracœleſtes
[e] Gen. 1. 9. *in locum unum, ut terra appareret arida* (*e*). Suppoſita igitur hac vaſtiſſima aquarum ſphæ-

Digitized by Google

ſphæra, una cum omni Terræ materia, nemo erit, quamvis in Phyſicis mediocriter verſatus, quin ſtatim concipiat aliqualem difficultatem circa modum, quo reduci poterat tam grandis aquarum copia in locum unum, niſi confugerit ad vaſtum intra Terram ſpatium aquis oppletum in ipſius Telluris conſolidatione, quod pro fundamine hypotheſeos noſtræ volumus. Primum autem animadvertendum eſt, in primordiali illa Archetypti Mundi ex aqua eductione, quæ aperte a Cornelio a Lapide (*a*) demonſtratur hiſce verbis: *Tertio vero Mundi die, Deus aquas a terra ſeparavit, & in unum locum congregavit; tunc ergo terra ex aqua quaſi enatans, & emergens apparuit, ſeque eſſe, & exiſtere propalam demonſtravit*: materiam terreſtrem fluidam fuiſſe, qualem etiam Steno (*b*) putavit, atque ulterius ſpecificis formis deſtitutam extitiſſe uſque ad emanationem Divinæ virtutis in illo felici creationis momento,

[a] *Epiſt. Can.* 379. *edit. Antuerp. A.* 1659.

[b] *de ſolid. int. ſolid.* 30.

in quo apta evaſit ad illas acquirendas figuras, quibus indigebat tam aſpectabilis œconomica ſtructura hujuſce Terraquei Globi. At vero nullo alio modo hoc fieri poterat, niſi introductione motuum variorum in homogeneis, heterogeneiſque particulis in materia delitеſcentibus, quæ prout varie coagmentabantur, diverſas induebant ſpecificas figuras ad tot mineralium, & metallorum compoſitionem idoneas. Ex tanta autem motuum varietate, & ex eorum productis corporibus Salinis, Sulphureis, Bituminoſis, ac Metallicis ortum ſuum traxerunt Ignes ſubterranei, quorum ope perfectæ fuerunt neceſſariæ elaborationes, & arcuatæ Terræ expanſiones, ut prædictum ſpatium in ea relinqueretur, ac circa ipſum exterior cruſta Univerſi Globi ſolidaretur, includendo maximam aquarum partem prius totam materiam obvallantium, ac conſtituendo ex illis ingens Hydrophylacium circa Telluris centrum;

nam

Digitized by Google

nam in hujuſmodi centro cum omnibus orthodoxæ fidei Theologis, Infernum tormentorum locum, a Deo in impiorum ſceleribus juſtiſſimo vindice, poſitum fuiſſe, credimus. Introductis his aquis in centrali illo receptaculo tunc facilius, quæ ſupererant redigi potuerunt in exteriorem partem Telluris, in locum unum *Maria* nuncupatum (*a*). Illam autem Terram ex abyſſo aquarum diſjunctam in media Firmamenti regione locatam fuiſſe, ac uti omnium gravium ad centrum æqualis eſt preſſio, ita libero aere ex ſe, omni motu expertem, ſuſtentam fuiſſe, atque ſphæricam figuram obtinuiſſe, ſtatuimus, veluti de Mundo innuit Plato in Timæo, hæc Steebio (*b*) referente: *Decora erat illa figura, quæ in ſe ipſa omnes figuras comprehendit, ideo globoſum, & rotundum undique a medio æqualiter ad extremitates diſtans, ipſum tornavit figura omnium perfectiſſima*: & ſi quis de hujuſmodi figura comprobationes majores exopta-

(a) *Gen.* 1. 10.

[b] *Cœl. ſephir.* 15.

optaret, adeat, ſi placet, Inſtitutionem
(a) *pag.* 223. Phyſicam Petri VVolfart (*a*), in qua variis iconiſmis, ob oculos illæ exhibentur. Sed talis figura opus eſt, ut intelligatur phyſice, & non mathematice, nam in ſuperficie Globi Terraquei admitti oportet aliquales inæqualitates, Montes appellatæ, quas minime variare ſuppoſitam rotundam figuram cenſemus; cum, reſpectu ad Terræ amplitudinem, ſint Montes veluti inſenſibiles protuberantiæ, quæ aliquando in cortice ovi exiſtunt ad totam ipſiuſmet ovi peripheriam. Inſuper in Πρωτογαίᾳ illa, & ante Diluvium extitiſſe Montes nobis ex Scripturæ Sacræ
(b) *Gen.* 7. 19. 20. *Prov.* 8. 25. aſſertione (*b*) ac phyſica animadverſione conſtat: namque, ut amnes fluerent, & Terram irrigarent (*c*) requirebantur,
[c] *Gen.* 2. 6. ſicuti contra Burnetianam hypotheſin validiſſimis argumentis probavit Clariſ-
(d) *Spec. Geog. Phyſ.* 212. ſimus VVoodvvardus (*d*), & nobis patet ex obſervatione glareæ congerierum, quas in Poſtdiluvianis hiſce Monti-

ti-

tibus aſpicimus; quarum ſinguli calculi cum illis, quibus amnes noſtri abundant, comparati, aperte demonſtrant, eos omnes lævigatos fuiſſe in Antediluvianis torrentibus, veluti etiam Grandius (*a*) præſenſit. Illis autem in Montibus Mineralia, & Metalla e fluido producta, ſervatis gravitatis legibus, in horizontalibus ſtratis locata fuiſſe tali ordine, ut materies ad unum genus e. g. Metalli aſſignata cum alio Metallo non commiſta, ſed diſtincte conſolidata fuerit abſque permiſtione illa a nobis in Mineralibus fere omnibus perſpecta, ſed Metallorum, Salium, Bituminum, Lapidum, quinimmo Foſſilium omnium ſtrata, in ſuas ſpecies diſtincta extitiſſe, opinamur. Etenim talis ordo neceſſarius fuit ad hoc, ut omnes ſpecies conſervarentur, ac incrementum caperent non a nova ſuperveniente materia, ſed ab homogeneis ipſiuſmet particulis, quæ necdudum integram acquiſiverant ſoliditatem, ſed fœcunde ſtra-

[a] *de verit. Diluv.* 46.

ta

ta permeando, prout incidebant in convenientiorem locum poterant magis, ac magis conſolidari, tum forma plana, tum cryſtallina. Jactis talibus de Terræ exiſtentia fundaminibus, regredior ad aquarum receptaculum ſuppoſitum circa ipſius centrum, quod pro Hydrophylacio communi toti Globo Terraqueo inſerviente, habendum eſt: & ſicuti conſideramus hujuſmodi aquas æſtuoſas, vaporoſas, ac in motu maximo agitatas fuiſſe a calore, ſeu igne ſubterraneo, veluti ſenſit Becherus (*a*), VVoodvvardus (*b*), Liebknecht (*c*), ita etiam aſcendere potuiſse cenſemus ex ipſo Hydrophylacio, ſaturando quaſcunque occurrentes fiſſuras, per ipſas penetrando ad Terræ totius peripheriam, producendo fontes, lacus ac flumina ex ipſiſmet centralibus aquis, quæ per Terræ meatus, & poros tranſeundo, longe alias qualitates acquirebant, & puriſſimæ evadebant. Ex fluminibus autem ſpatioſam Terræ ſuperficiem irrigan-

(a) *Phyſ. ſub. terr.* 73.
(b) *Spec. Geog.* 105.
[c] *Diſcurſ. de Diluv.* 130.

gan-

gantes, ducebant ſe ad Mare, in quo ob propriæ gravitatis vim, centrum verſus premendo in Hydrophylacium denuo remigrabant, ut præcitatus Becherus (*a*) docuit; & Sacer Textus (*b*) quoque his innuit verbis: *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*. A Mare igitur veniebant aquæ, nempe per vapores ad athmoſphæram aſcendentes, & in pluvias relabentes; veniebant & a centrali Hydrophylacio, uti diximus, cum Mari communicante, tali ſervato æquilibrio, ut perpetuam ſiſterent aquarum circulationem ab Hydrophylacio ad Mare, & a Mare ad Hydrophylacium, ac eadem lege ad athmoſphæram vapores aſcenderent, qui ſuppeditare quirent, per pluvias, aquas ad Terram irrigandam in exteriori parte pro Animalium, & Plantarum uſu, veluti eleganter Steebius (*c*) ſcripſit: *Deus aridam fecit terram omnipotenti virtute in*

[a] *Phyſ. ſubterr. 65.*

[b] *Eccleſ. 1. 7.*

[c] *Cœl. ſephir. 49.*

B *ejus*

ejus gremio producendo mineralia, metalla, lapides duriſſimos, ut ſint fulcra aridæ ſuperficialis cruſtæ, & intrinſecus efficiant cameras, & cavernas, in quibus aquæ depuratæ reſerventur pro hydrophylaciis ſufficientem amphoram ſitientibus creaturis exhibentes: inſuper haud parum propoſitiones iſtæ fulciri videntur ab ipſis Sacris Oraculis (a): *Non enim pluerat Dominus ſuper terram: ſed fons aſcendebat e terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ*. Unde non tantum ſubterranei Hydrophylacii demonſtratio conſtat, ſed & ejuſdem aquarum aſcenſus, ac e Terra eruptio, ut aquæ illæ effluerent per Montes, Valles, ac Planities, illo etiam tempore exiſtentes meliori ordine, ſicuti ſtatuimus; ſervata tamen primorum illorum ſtratorum ab ambiente aere, a pluvia, gelu &c. diruptione, quæ illis in Mundi primordiis, ante nactum coctilium laterum uſum, mirabili Dei providentia, uti in hac ſenecta, materiem ſuppedita-

(a) *Gen.* 2. 5.6.

ta-

Digitized by Google

tare poterat ad hominum habitacula extruenda. In hoc ſtatu ſeſe habuit Terra Antediluviana, in quo exarando immorati hactenus fuimus, & talis permanſit mille, & quingentis Annis, in quibus Homines, ut VVoodvvardus ſcripſit (*a*) abutendo tanta illius temporis felicitate, ac Telluris fertilitate, fœda ſcelera in Deum patrarunt, quibus ad iram concitus, *pœnituit eum, quod hominem feciſset, inquit, finis univerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra* (*b*): Ex quibus verbis Terræ Primævæ vaſtatio dignoſcitur per Cataclyſmum illum, de quo mox acturi ſumus in

(a) *Spec. Geog. Phyſ.* 72.

(b) *Gen.* 6. 6. 13.

Digitized by Google

CAP. II.

De Diluvii effectibus, ac de Statu Poſtdiluvianæ Terræ.

ORbi univerſo quondam fatalem inundationem eveniſſe impiorum piaculorum cauſſa, ac effectus tam diræ ſtragis fuiſſe diſperſionem hominum cum Terra, ac totius, quod in ea creatum exiſtebat, veluti in fine præcedentis capitis demonſtravimus, nemo ibit inficias: *Delevit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile, quam volucres Cœli* (*a*). At dumtaxat hæc non delevit, ſed cum eis Terram ipſam, hoc eſt totum Globum Terraqueum dirupit, ut ex ſequentibus ipſorum Sacrorum Oraculorum ver-

(a) *Gen.* 7. 2. 23.

bis

Digitized by Google

bis (*a*) patet: *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt; & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Abyſſi fontium nomine, fas eſt, ut intelligantur omnia ſubterranearum aquarum receptacula, cum magna illa Abyſſo, ſeu centrali Hydrophylacio communicantia, ut undique totam Tellurem aquis ſaturarent. Cuncti igitur hi fontes Abyſſi, opus fuit, quod, Omnipotentis nutu, non tantum panderentur, ſed immo totaliter abrumperentur, ut Terram inundarent, ac inſuper ex ipſorum aquis, ad athmoſphæram elevarentur ſufficientes vapores, pro ingenti quadraginta dierum pluvia, nobis aperturæ Cœli cataractarum nomine indicata. Quænam autem fuerit illa pluvia perfacile conjici licet ex imbribus, qui obſtructis, his temporibus, prædictis fontibus, ac aquis ad Terræ placidam irrigationem tantum ſcatentibus, quando-

(a) *Gen.* 7. 11. 12.

Digitized by Google

doque tam ingentes excidunt, ac per torrentes tanto ruunt impetu, ut ſæpe Montes ipſos evertant, integraſque regiones fere ſubmergant, ac devaſtent: Quales ergo effectus potuerint in Terram induci a tam immenſa aquarum copia ex ſubterraneis ruptis fontibus erumpente, ac per pluviam corruente, mariniſque undis ſeſe admiſcente, ut ex omnibus ſuperaretur cubitis quindecim altitudo Montium, tunc in Terra

[a] *Gen.* 7. 19. 20.

exiſtentium? (*a*) Huic Cataſtrophe, quæſo Lector mentem applica, & haud difficulter concipies alterationes, mutationes, agitationes, ac præcipue a ventis obortas concuſſiones, quas illo infelici tempore Terra perpeſſa fuit; & eo magis lubenter manus dabis victas egregiæ de Diluvio ſententiæ Anglici illius Naturæ ruſpatoris Domini VVoodvvardi, cujus diſciplina hiſce in pagellis ſæpe uti fateor: hujus hæc ſunt verba:

(b) *Specim. Geogr.* 63.

(*b*) *Durante diluviana ſtrage Globo terreſtri*

tri ab Aquis undique operto, fuerunt omnes Lapides, & Marmora Terræ Antediluvianæ; Metalla omnia, Mineraleſque concretiones, verbo, cuncta Foſſilia, quæ ullam antea obtinuerunt ſoliditatem, totaliter diſſoluta, & in particulas nullo nexu cohærentes diviſa. Corpuſcula hæc ſolidorum antea foſſilium ſoluta, juncta corporum non ſolidorum partibus, Arenæ ſcilicet, Terræ, & ſimilibus; Animalium item, horumque Oſſium, Dentium, Conchyliorum; Vegetabilium porro, Arborum, Fruticum, & Herbarum; verbo, Corpora quævis in Terræ ſuperficie poſita, vel Globi hujus maßam conſtituentia [ſi non ad imam Abyſſum] omnia ad maximam ſaltem, qua penetrare nobis licet, profunditatem: (a) hæc, inquam, omnia promiſcue in aquam fuerunt aſſumpta in eaque ſuſtentata; tali modo ut Aqua, & quæ in ipſa erant Corpora, ſimul, unam communem conſtituerunt Maſſam. Quibus omnibus, & nos non refragabimur, ſtatuendo, quod ſtrata omnia a Creatione uſque ſolidata, non tan-

(a) *Correct. Geogr. Phyſ. in Hiſt. Tell. illuſtr.* 4.

tantum quaſſata, & dirupta, immo in univerſo illo Cataclyſmo diſſoluta, ac in fruſta comminuta fuiſſe, reſpective tamen ad vaſtitatis proportionem totius Terrei Globi. Enimvero, probabile eſt, in primordiis Diluvii circa centrum Terræ a ſubterraneis ignibus concitatos fuiſſe ingentes motus prorſus illis oppoſitos, quos ipſa Tellus in Creatione obtinuerat, ut expanſionibus, & ſolidationibus ſtratorum inſervirent, veluti in primo oſtendimus capite. Propterea Diluviana perſiſtente ſtrage, totam Terram iiſdem contrariis motibus obnoxiam fuiſſe oportuit, ut deſtruerentur quæcumque figuræ ab ipſis obortæ, & panderentur omnes ſubterranei fontes, dirumpendo Terram a centro uſque ad hujuſmodi cruſtæ peripheriam; itaut aquæ centrales univerſaliter communicarentur, & terreſtrem materiam omnem in priſtinum propemodum redigerent Aquarum Chaos, ſicuti Divi-

no

Digitized by Google

no decreto ſancitum fuerat. Hanc porroTerræ diſſolutionem tantum reſpective intelligendam eſſe duximus; cum non inficiemur, multum virium ſuarum amiſiſse ſubterraneos ignes in occurſum aquarum, quæ actiones ſuas retardare, ac impedire valuerunt; ita ut concedendum ſit, aliquas ſtratorum portiones, præſertim illas, quæ a ſubterraneis illis motibus aberant, hoc eſt, in Terræ exteriori parte, tantæ diſſipationi expoſitas non extitiſſe; ſed tantummodo hæc inſimul cum Animalium, & Plantarum partibus, diſſolutiſque materiebus omnibus, tum Metallicis, tum Mineralibus, tum Terreſtribus, confuſe mixta fuiſſe, ac huc illuc a rapidis ventorum vorticibus illo maxime catholicæ Inundationis tempore furentibus, obiter lata, & concuſſa, quadraginta diebus, manſiſſe; quibus elapſis Clementiſſimo Deo placuit *adducere ſpiritum ſuum ſuper terram, ut imminuerentur aquæ,*

& clauderentur Abyſſi fontes ; & cataracta Cœli (*a*) . Antequam vero obſtruerentur Abyſſi fontes, pluvias ceſſaſſe arbitramur ; nam veluti ſereno Cœlo , ad athmoſphæram aſſidue elevantur vapores , tamen in imbres non relabuntur , niſi ſuperveniente ipſorum in nubes condenſatione ; ita pari ratione poterant Diluvii tempore ceſſare ſævæ illæ pluviæ adhuc hiantibus fontibus Abyſſi. Interclusio autem aquarum diluvianarum non tam brevi tempore, ſicut in Creatione, facta fuit ; etenim poſt Diluvium *aquæ de terra euntes , & redeuntes: cœperunt tantum minui poſt centum quinquaginta dies* (*b*): in Creatione vix tertium attigerunt diem ; in Diluvio vero niſi poſt *decimum menſem apparuerunt cacumina Montium* (*c*) Temporis autem inæqualitatis , quæ extitit inter illam e primævo Chao , & hanc ſecundam ex aqua eductionem , ſicuti eam appellare placuit amico noſtro pergratiſſimo Domino

(a) Gen. 8. 1. 2.

(b) Gen. 8. 3.

[c] Gen. 8. 5.

Digitized by Google

no Bourgheto, eruditiſſimis literis, quibus ſuam mihi quondam aperuit de eadem inundatione ſententiam, non quippe aliam aſſignabimus rationem, niſi quod eductio Terræ ex aquis poſtdiluvianis, ac ſtratorum fermentatio, expanſio, ac ſolidatio factæ fuerint juxta Naturæ ordinatos motus, jamjam in Creatione in ſpecies diſtinctos, ſed in Diluvio enervatos, & in materia confuſa abditos. Quapropter mirum non eſt, ſi poſt Diluvium neceſſe fuit, quod tantum elaberetur tempus, ut materies paulatim præcipitarentur, ac ſibi invicem proportione unirentur; adeout foverentur ignes ſubterranei, & juxta Divinæ Providentiæ nutum, in terreſtri materia denuo ſuſcitarentur neceſſariæ elaborationes pro arcuatis expanſionibus ſtratorum, & circa centrum paulatim præcipitarentur aquæ eundem in locum, in quo ante Diluvium locatæ erant, ut toti Telluri iterum inſervirent pro uni-

Digitized by Google

verſali illo Hydrophylacio, quod ſatis in priori explicavimus capite. Unde ex dictis liquet, poſt Diluvium Terram eandem apparuiſſe, qualis fuerat Antediluviana, hoc eſt, cum Montibus, Vallibus, Planitiebus, Fluminibus, & cum eo, quod ſpectamus quatuor mille, & ultro Annis, ſicuti accurate ipſam demonſtrarunt Steebius (*a*) VVoodvvardus (*b*) &c. Structura vero, quam adepta fuerunt Terræ ſtrata poſt Univerſalem Cataclyſmum ab ipſorummet inſpectione conſtat: nempe quod in ipſis materia omnis in ſtrata ſupra ſtrata Horizonti parallela, juxta gravitatis legem, quantum in tali confuſione fieri poterat, diſpoſita primo fuerit, ut ſcite Steno (*c*), & VVoodvvardus (*d*) ſcripſerunt. Poſteavero a dictis intra Terram elaborationibus, ſtrata rupta, elevata, ac depreſſa remanſerunt; itaut non amplius omnia ſitum horizontalem parallelum, ſed alia arcuatum, alia in-

[a] *Cœl. ſephir.* 51.

(b) *Spec. Geog. Phyſ.* 221.

[c] *Can. Carc. Cap. Diſſ.* 100.

[d] *Specim. Geogr.* 63. & *Hiſt. Tell. illuſtr.* 29.

inclinatum, & alia varium, obtinuerunt; & tunc factæ fuerunt non ſolummodo omnes illæ perpendiculares fiſſuræ, quas etiamnum Montes ſervant; ſed & omnes Inſulæ, quæ in Maris alveo exiſtunt. In hac igitur univerſi Terraquei Globi revolutione, ac ingenti aquarum fluctuum agitatione, inter ſtrata locata fuerunt omnia illa Marina Cruſtacea, nec ipſis pelagiacis exceptis, Piſces, Ligna, cæterorumque Animalium, & Vegetabilium partes, quibus fere omnes Montes ſunt referti non tantum in Italia, Germania, Helvetia, Gallia &c. ſed in ipſis Orientalibus Inſulis. Hæc autem foſſilia, ſicuti fortuito in materies varias offenderint iiſdem ſaturata, reſiderunt in ſtratis, in quibus, quoque multas perpeſſa fuerunt alterationes, præcipue a Natura particularum ſalinarum ibi latentium; ea de cauſſa aſpiciuntur tum integra, & ſervata, tum rupta, & a ſtratorum pon-

dere

dere compreſſa, tum in calcem fere redacta; aliqua lapidefacta ex materia, tum Silicea, tum Marmorea, tum Selenitica; aliqua Metallis, Bituminibus oppleta, alia Cryſtallo, Achate, Onyce &c. infarcita. Veritatem porro hanc patefaciunt omnes res minerales, quibus tot curioſorum exornantur Muſea, & quilibet Terræ tractus copioſam exquirentibus penum præbent, magis magiſque affirmantes ſtratorum Antediluvianæ Terræ diſſolutionem, ac, ut ad rem ſcripſit Bajerus (*a*) MEMORIAM UNIVERSALIS DILUVII exhibentes, ad confutandos Atheos validiſſimum argumentum; ac ulterius omnibus mortalibus ſiſtentes perpetuum iræ Divinæ in peccatores Monumentum, quo ſumma providentia voluit undique omnes monere, ac perterrere, ut ſe emendent, nec nova ſcelera perpetrent, evitandaque addiſcant a Diluvio aquarum, illuviem flammarum. Ne autem hypo-

[a] ὀρυκτογραφία 67.

Digitized by Google

potheſin hanc aliquis evertere conetur inſtando, quod per plures Montium tractus nec in unam quidem Diluvianam reliquiam offendatur; notandum eſt primo, quod paulo ante ſcripſi de quantitate particularum Salinarum, Sulphurearumque in quibuſdam ſtratis exiſtentium, quæ a Diluvio uſque ad hoc tempus deſtruere valuerunt quicquid ex Cruſtaceis, Teſtaceis &c. in eis relictum fuerat. Fateor & ego, quod aliquando aſpectu quorundam Montium, diu hæſitavi, ſed aſſidue diſquiſitioni incumbens, aliquæ inventæ Marinorum Animalium teſtæ, quamvis fere conſumptæ, ſuperius prolatam animo meo fixerunt ſententiam. Præterea nec admodum demiratus fui de eo, quod mihi aſſeruit Bononia tranſiens, Nobiliſſimus Sherardus, non tantum Botanicorum Coryphæus, ſed in totius Naturalis, ac antiquæ Hiſtoriæ eruditione verſatiſſimus, ſtudiorumque meorum

fau-

Digitized by Google

fautor eximius, nempe, quod in Orientalibus plagis ab ipſomet, nulla ſpreta induſtria in foſſilium perquiſitione, præter ſuam,& aliorum expectationem, nullum unquam Diluvianum Monumentum comperit. Nam veluti in montoſis locis apud nos obſervantur immodica ſtrata, immo dicam, ipſi integri Montes ferme teſtaceorum congeriebus conſtructi, & ſeſe per plura milliaria tendentes recta linea, ut ſæpius me erudivit Spectatiſſimus D. Comes Marſilli, Urbis hujus literatorum omnium ampliſſimus mœcenas, univerſoque literato Orbi notiſſimus; & hoc ipſe melius oſtendet ſua, quam meditatur, Tabula Topographica Bononienſis ditionis, pro ſyſtemate de organica Terraquei Globi ſtructura, ita quoque rationi conſonum apparet in rapidiſsimis illis aquarum Diluvii fluctibus, materiem geſtam, relictamque fuiſſe per ſpatioſos tractus, maritimis exuviis minime admixtam.

His

Digitized by Google

His ſtantibus de Animalium, & Vegetabilium partibus per Diluvium, Minerali regno adauctis, arduum nec erit quoque rationem reddere de cæterorum mineralium, & præſertim Metallorum miſcellaneis, quæ offeruntur cuilibet intuenti omnia ex Poſtdiluviana hac Terra deprompta, nullo recurſu habito ad illas in Natura indigeſtas Metallorum gradationes, arte reducibiles ad ſummum perfectum, hoc eſt ad Aurum, quas pro celebri metallorum tranſmutatione in cerebro ſibi fingunt quidam Hermeticæ diſciplinæ addicti, ne mavis dicam nimis creduli. Nos vero rem aliter ſe habere cenſemus Steebii auctoritate (*a*) videlicet: *Primo Deum vidiſſe omnia quod ſint valde bona, propterea etiam pulchra, & perfecta; quod ſi ergo metalla per ſecula virtute accretiva in perfectionem maturari debuiſſent, nondum valde bona fuiſſent*. Quibus addimus, ſi daretur talis perfectionis gradatio, ſe-

(a) Cœl.Seph. 50.

 que-

queretur, quod comperirentur metalla, quæ nec Aurum, nec Argentum, nec Cuprum, nec Ferrum eſſent, ſed novæ Metallorum ſpecies apparerent; verum cum hoc αὐτοψίᾳ implicet, fateri cogimur cum Rege ſapientiſſimo (*a*) *omnia in menſura*, *numero*, *&* *pondere*

(a) *Sapient.* 11. 21.

diſpoſita fuiſſe. Præterea poſt ſtratorum ſolidationem mineralia incrementum non adipiſci demonſtratur hiſce VVoodvvardi verbis (*b*) *Metallica*, *&* *Mineralis*

(b) *Specim. Geogr.* 165.

materia omnis non amplius creſcit, *immo nec inde a tempore*, *quo primitus fuit depoſita ullam recipit additionem*. Itaque arbitramur confuſionem illam, quæ ſæpe in maſſa una Metallorum, & Mineralium obſervatur, adinveniendo e. g. in uno fruſtulo Cuprum, & Ferrum, in alio Argentum, Plumbum, & Ferrum, &c. originem duxiſſe a ſolutione illa ſuperius expoſita, quæ in Diluviana cataſtrophe materiebus omnibus evenit. Non autem inficiabor, metalla poſſe

quo-

Digitized by Google

quoque hiſce diebus aliquales inire mutationes, per minerales particulas a ſubterraneis aquis huc illuc latas, & a quibuſdam ſublimationibus, ignis ope, in mineris peractis, ex quibus oriri queunt efflorefcentiæ illæ metallicæ, quæ ab intima ad extimam Telluris partem propelluntur, maxime in ea loca, in quibus copioſæ extant mineræ. Tali etiam modo concedimus, potuiſſe fieri poſt Diluvium in Metallis Mineralibus, &c. nonnullas cryſtallizationes, vel alias planas accretiones, ex reliquo ipſiuſmet materiæ jam prius in ſtratis depoſitæ, ac in aliquibus locis nondum concretæ. Hocque maximopere in montium cryptis, perpendicularibuſque fiſſuris, & interdum ſupra ipſas jam perfectas cryſtallizationes, peragi cenſemus, inſtar concretionum illarum, quas aſſequi ſolent Chymici ex reſidentibus ſolutionum ſuorum ſalium, e quibus prima cryſtalla exemerunt. Stalactites vero, ſeu Sta-

lagmites, ac cæteras omnes aquarum productions, ſive forma cryſtallina, ſive ſtriata, ſive plana, ſeu ſpongioſa, concretas ad cryptarum fornices, & parietes, ac per locos fere omnes, per quos aquæ permeant, tantum in minerali regno ſemper procreari, ac augeri affirmamus a quodam ſale calcario, omni ſapore deſtituto, ab aliquibus ſuccum petrificantem nuncupato, quod in aquis omnibus majori, vel minori quantitate invenitur, prout tranſiverunt per loca quædam, in quibus plus minuſve idem ſal depoſuerunt. Ulterius rationi, ac δοκιμασίᾳ conſonum eſt, hoc ſale expleta fuiſſe in Telluris conſolidatione ſtrata quorumcumque lapidum eorum præſertim, qui igne in calcem commutantur; ſicuti ſunt omnes illi, qui hoc tempore ab æſtu, gelu, & ab aquis tum ſubterraneis, tum pluvialibus in Montibus effringuntur, ex ſtratis in rivos delabuntur, efficiunturque multiformes

illi

Digitized by Google

illi lapides, quibus in ædificiis utimur, Saxorum, & Glareæ vulgari nomine. Quin etiam ex dictis probatur, quod non ſolum in amnibus minime formentur lapides, nec per extra poſitionem adaugeantur, ſicuti multi perperàm aſſeruerunt, ex inſpectione quorumdam, poſt pluvias, Margæ, ſeu Argillæ terræ globulorum, a nimis efflu- entium aquarum per plana inclinata violento impetu, productorum; ſed immo iſti globuli denuo in torrentibus deſtruuntur, & ſaxa ipſa comminuuntur, fiuntque minimæ Arenæ, & Sabuli particulæ. Eodem porro ſale calcario ſubtiliſsimis corpuſculis metallicis admixto ſaturata fuerunt omnia Marmorum, ac Lapidum, verſicolorum ſtrata. Ulterius eiſdem particulis in fluido confuſis, & in preſſione, & ſolidatione ſtratorum, inter materiam concretis, geneſim ſuam debent, perpulchri illi colores, quibus plures lapides de-

decorantur confuſe, ut Marmora, vel quodam ſemper ſervato ordine, ut Lapides concinne coloribus exhibentes Flumina, Civitates, Ædes, Turres &c. Dendriteſque nemora ſimulantes, ac interdum integras arbores cum ſuis caudicibus, & ramis præſeferentes, veluti maxime apparet in uno ex his rarioribus, quo ſcrinium meum exornare placuit munificentia Domini Gheiſelii amici honeſtiſsimi, ac ſcientiis ornatiſsimi. At de his omnibus meris ludentis Naturæ phænomenis, qui ulteriores phyſicas demonſtrationes efflagitaret, ſi ipſi arrideat, legat peculiares de Dendritis Diſſertationes a Celeberrimo Domino Scheuchzero (a) in Hiſtoria Naturali conſummatiſsimo, literatis tot ſuis ſcriptis notiſsimo, Dominoque meo præſtantiſsimo, evulgatas; ac in illis adinveniet quidquid ad ipſorum Naturæ mechaniſmum explicandum exigitur. His autem foſsilibus, quæ, jure merito, Na-

(a) *Ephem. Germ. A. V. VI. 57. & Herb. Diluv. 17.*

turæ

turæ luſus nomine gaudent adnectendi ſunt noduli marchaſitacei, lapideſque alii multiformes, & præſertim mirabiles illi, ut vulgo loquar, qui e ſtratis arenariis delabuntur, quorum Aldrovandus noſter (*a*) iconiſmos plurimos exhibuit, & a ſimilitudine eos appellavit *Melopeponites*, *Cryſomelites*, *Perſicites*, *Orchites*, *Diorchites*, *Scelites*, &c. Quæ omnia primitus ipſe intuens, fateor haud modicum mentem meam ſuſpendiſſe, uſquedum fortunatum inventum ad manus porrexit meas dimidium Melopeponitis in una parte Marinorum Teſtaceorum nucleis obductum, quod certiorem me fecit, de quo tamen antea ſuſpicabar, formatos fuiſſe hos Naturæ luſus poſt univerſale Diluvium; nempe a ventorum vorticibus materiem pervolventibus per aquarum undas, dum ibant, & redibant aquæ ſe perducendo ad Mare, & ad ſubterraneum Hydrophylacium; quo tempore tot varia-

[a] *Muſ. Metall.* 52. 482. 506.

riati motus, tali modo agere valuerunt in fluidam materiam, ut effingerentur hæc curioſa foſsilia, quæ minime comperta fuiſſe in Antediluviana Terra arbitramur. Eadem porro Terra non tantum prædictis foſsilibus carebat, ſed in ipſa nec inveniebantur lapidum ſtrata, ex miſcellanea materia congeſta, ſicuti e. g. ſunt illa noſtrarum fodinarum Arenariorum lapidum, quæ ex coacervatis in Diluvio maritimis arenis, & hæc in loca translatis facta fuiſſe procul dubio ſtatuimus; cum hanc veritatem nobis oſtendat ocularis inſpectio ſtratorum in ipſis fodinis, lineis maritimæ glareæ intermixtorum; atque ulterius eorumdem obſervatio in inferiori parte communem Terram tangente, in qua undique Marina Teſtacea petrefacta cernuntur, quorum raro vix minima particula, etiam oculatiſsimo exploratori, per ipſa ſtrata ſe offert; nam in iſtis a ſale marino ibi majori copia

re-

Digitized by Google

relicto, jam conſumpta penitus fuerunt. Præterea ſilendum non eſt, a vi prædicti ſalis non conſumptum, ſed immo petrefactum fuiſſe Oſſis fruſtum, centum librarum ſuperans pondus, cujuſdam Piſcis ex Cetaceorum genere, quod paucis ab hinc annis inter prædicta noſtra ſtrata a foſſoribus inventum, ac curioſis Naturæ cultoribus exhibitum fuit. Perſpectis adhuc his, quæ in Terræ intimis locis acciderunt poſt Univerſalem Cataclyſmum, tranſeo ad ipſius extimam partem ornatam, ſicuti ſuperius oſtendere conatus fui, Montibus, Vallibus, Planitiebus &c. in ſuperficie quorum confuſe remanſiſſe ſemina Vegetabilium omnium, propter ipſorum levitatem, reſpectu ad cæteras terreſtres materies, probabile admodum eſt. Quare arbitramur, quod ſemina Plantarum, quæ indigena erant in Africa, & America, admixta cum illis, quæ in Aſia, & Europa

Digitized by Google

naſcebantur , locata in Terræ ſuperficie fuerint ; verum non ubique exorta , ſed tantum in locis, in quibus reperierunt Solem , & Tellurem ad ipſorum germinationem accommodatam. Itaque haud denegemus in Europa noſtra, nunc oriri poſſe aliquales ſtirpes, quæ ante Diluvium, tantum in America naſcebantur, & in America reperiri poſſe plantas, quæ ante Diluvium noſtras regiones pro locis nativis noſcebant. Porro ex hactenus dictis conſtat, quantum aſſertiones noſtræ adverſentur quorumdam ſcriptis, ægre Univerſalis Diluvii ſententiam amplectentium; arbitrando, quod Marina corpora intra Terram a vi plaſtica ſeminii cujuſdam, ſeu ab aura ſeminali generentur; quod eadem ſint mere Naturæ luſus; quod Mare locis in quibus nunc obſervantur Teſtacea olim inveniretur; quod in Natura reperiri nequiverat tanta aquarum copia ad

Globi

Digitized by Google

Globi totius ſubmerſionem; quod Telluris ſitus ad Solem ante Diluvium differens fuerit ab eo, quem nunc Terra obtinet, & ideo illius habitatores toto Anno æqualem aeris temperiem experiebantur; quod tandem Mari, Montibus, Metallis, Mineralibus &c. deſtituta eadem Terra fuerit. Verum hæc omnia, cum nobis infirmioribus fundaminibus fulta videantur, lege modeſtiæ, minime examinanda duximus; ſed potius humiles has noſtras palmas inſerere decrevimus excelſiſſimis cupreſſibus tot Celeberrimorum Virorum, quales ſunt VVoodvvardus, Scheuchzerus, Bajerus, Butnerus &c. hanc hypotheſin ſuffragantes eruditiſſimis ſuis ſcriptis, in quibus foſſilia tum Teſtacea, tum Cruſtacea, tum Plantæ, tum Piſces, tum Corallia, tanquam Diluvianæ Inundationis teſtimonia, omnino a dubiis vindicantur. Videant igitur illa, qui de Univerſali Cataclyſmo, ac de ipſius ef-

Digitized by Google

fectibus adhuc dubitant; obſervent foſſilia in locis, in quibus inveniuntur, perpendantque ipſorum ſitum, quantitatem, varietatem, ſubſtantiam &c. & ſi ab illis neque ſatisfacti videantur, pergant quæſo ad quæ ſcribenda animum intendo in ſubſequenti

CAP.

Digitized by Google

C A P. III.

De Monumento Diluviano nuper detecto.

NUllam profecto recentiores viam ſectari potuerunt præſtantiorem, ne circa phænomena mineralis regni in errata priſcorum inciderent, quam mente oculatiſſima perquirere, ac ſcrutari omnia, quæ cum in propriis, tum in exteris regionibus Telluris eximuntur viſceribus. Itaque, & nos aliorum veſtigiis inſiſtentes, omni conatu idem perpetravimus, exquirendo omnes Montes, ac Colles hujus Bononienſis dictionis, qui ſicuti ſunt omnibus frugibus ad lautum monticolarum, & civium alimentum, opulenti, ita non minus ſuppeditant laudabi-

li

Digitized by Google

li curioſitati Naturæ cultorum copioſas Maris exuvias, quæ Diluvii reliquiæ haud ægre ab ipſis inſciis, & ignaris monticolis appellantur. Hæc autem omnia, Urbis hujus Proceres collegerunt, ac in ſuis Muſeis locarunt, ut cernitur in celeberrimis illis publicis Aldrovandiano, Coſpiano, ac in nuper erecto Scientiarum, & Artium Bononienſi Inſtituto; ulterius, & in privatis, ſcilicet in Zanoniano, præcipue vero Cæſiano maximo numero, Artis, Naturæ, Antiquitatiſque ſpoliis inſtructiſſimo, quorum catalogum publicum factum ſummopere efflagitamus, & ideo digniſsimo hujuſmodi poſſeſſori Neſtoreos vovemus annos. Præterea in ſcriniolo lapidario meo non pauca Teſtacea foſſilia aſſervo, quæ cum maritimis comparata veritatem Diluvii ſatis teſtantur. Iſtorum autem quamplurima debere, fateor, chariſſimi Domini Blancani humanitati, qua voluit in foſſilium perquiſi-

Digitized by Google

quiſitionibus non tantum mei, ſed & cæterorum Naturæ ruſpatorum, ſocius, ductor, ac hoſpes eſſe. Ipſe hoc præcipue expertus fui vere præterito, in quo non tantum me admonuit de invento quodam ruris ſui coloni a me pluries edocti, ac præmii ſponſione allecti, ut omnia curioſiora foſſilia loci illius exquireret, ſed & inſtitit, quod ſecum illuc pergerem. Quapropter Bononia una diſceſſimus, ac inter, plana, ſpatioſaque via ſex milliarium, confecimus, ac idem per acclivem, & umbroſum collem proſecuti fuimus ad alia milliaria quatuor, dein ad Blancanum Montem ita nuncupatum ab antiqua Blancanianæ domus poſſeſsione, pervenimus. Mons iſte, ſicuti ſupra alios in vicinia caput erigit, ita undique amœniſsimum præbet proſpectum oculos admodum demulcentem. Ibi Barometricas obſervationes inſtituentes advertimus Mercurium, qui Bononiæ fuit ad

digit.

Digitized by Google

digit. 27. 10. deſcendiſſe digitum unum, & lineam unam, ex quo inferimus, quantum ex Marioti, ac noſtris obſervationibus conſtat, Blancanum Montem ſuperare, noningentis circiter pedibus Pariſienſibus altitudinem plani Bononiæ, atque ulterius aſſurgere ſupra Maris Horizontem ped. noningentis ſeptuaginta octo. Perreximus dein ad vicinos Montes, quos omnes, ſed præſertim Montem Majorem, corrupto vocabulo, dictum *Monte Mavore*, diluvianis reliquiis, refertiſsimos eſſe comperimus. Poſteaquam vero ex illis locis varia collegerimus, ad Blancanum Montem denuo remigravimus; quo in itinere obviam factus fuit monticola nobis inventum ſuum offerens, quo explorato, juſſi ut Bononiam illud geſtaret, poſtquam vero mihi indicaverit locum ex quo depromptum fuerat. Deſcendimus igitur de Blancano Monte ad partem Orientalem, & obſervavimus

ver-

Digitized by Google

verticem illius montis ad pedes circiter quadraginta congeſtum fuiſſe Marga glauci coloris, in qua reperiuntur Pinnæ, Echini, Mituli, Vegetabilium folia &c. de quibus mentio facta fuit a D. Scheuchzero (*a*), quæ omnia optime confirmant, materies omnes locatas fuiſſe in ſtratis juxta gravitatis legem ſicuti in capite ſecundo innuimus. Strata autem, quæ prædictæ margæ ſubſunt ad pedes triginta, eadem terra arenaque luteſcente admixta, ſtructa ſunt, ac in ipſis, ſecundum horizontem, ubertim Chamæ, Pectunculi, Balani, Dentalia, &c. cernuntur. Ex adverſo huic loco ſeſe offert ingens rupes dicta *Balzo del Muſico* ex qua decidiſſe foſſile noſtrum, ruſticus aſſeruit: tunc in vicinia loca ſedulo perquiſivimus ſpe alicujus raritatis freti, ſed fruſtra; nam rariora hæc magis accidenti, quam exquirentium cuicumque induſtriæ debentur, uti ſæpe experimur. Bo-

(a) *Muſ. Diluv.* N. 148. pag. 17. 718. 720. 875.

Digitized by Google

noniam verſus tunc iter inſtituimus; quo perventi, propria manu diligenti ſcalpro armata foſſile hoc a terra, arena, ac lapide ſuperfluis liberavimus, ad talemque reduximus ſtatum, qualis hic deſcribitur, ac in Icone ad naturalem magnitudinem ab utraque parte repræſentatur. Hocce lapidis fragmen longitudine non ſuperat ſemipedem, & digitum unum Pariſienſem; latitudo ipſius fere cum longitudine æquat; craſſities vix ad quinque digitos pertingit; totumque arenario lapide cœruleſcente, in angulo tantum luteſcente conſtat, atque commixtum conſpicitur Chamis, Pectunculiſque marinis lapidefactis A. In hujus medio aſſurgit ſubſtantia nigra oſſea, atque nitida B, quæ lapideſcente ſale infarcita oſſeam in terream mutavit ſubſtantiam, aſſervata tamen oſſis facie colore, ac poroſitate; hæc in ima parte in cuneum C terminat, qui ſuperiorem partem ver-

ſus

ſus digitos quatuor ſe extendit D in duobus convexis ejuſdem longitudinis fruſtis, quæ a cornibus alicujus quadrupedis expolitis, non multum abludunt. Horum pars inferior contecta eſt eodem cœruleſcente lapide, qui circa medium pronæ partis, arenam luteam non penitus induratam oſtendit, in qua cujuſdam oſſeæ cartilaginis cernuntur veſtigia E. Peripheria autem prædictorum fragmentorum oſſeorum F, uncias octo non excedit, ac in ſingulis cernitur foramen G terra oppletum; hæc fragmenta oſſea rotunditatem non ſervant, ſed parum compreſſa obſervantur circa ſupinam partem, in qua radicantur mandibulæ duæ H dentium molarium planorum, inſtar bubulorum, etiamnum extrinſecus oſſeam ſubſtantiam coloris ex nigro livide cineneſcentis ſervantium; una quarum, trium digitorum longitudine conſtat, & ubi terminat conjunctionem oſten-

Digitized by Google

dit cum inferiori parte oſſea, quæ lapide obducta, pariter in cuneum C abit. Porro Foſſile hoc, cum primum ad meas pervenerit manus, a congeſtu Teſtaceorum, alicujus Marini Cetacei capitis fragmen eſſe, arbitratus fui; quin etiam omnium Ictyologorum volumina pervolvens, haud dubie conferri tantum poſſe cenſui cum *Roſmaro Olai Magni lib. 21. cap. 28. Geſneri Nomencl. Anim. Mar. 178. 368. Laet. Ind. Occid. Hiſt. lib. 2. cap. 37. Elephante Marino Paręi, de monſtris, & Prod. 754. Aldrov. Paralip. Hiſt. Anim. 106. VVarlo Anglis, & Ruſſis; Morte Danis; Roſmaro Islandis Muſ. VVormiani 289. Jonſtoni de Piſc. 227. Tab. 44. Equo Marino, Hippopotamo; Vacca Marina quorundam; Phoca Muſ. Chirch.* 289. 27. quo in Muſeo notandum eſt, quod nec Phocæ nomen, nec viginti primæ lineæ pag. 270. ipſiuſmet deſcriptionis, huic competunt Piſci; ex quibus Scriptoribus, & præcipue ex

Geſne-

Digitized by Google

Geſnero, & VVormio, in gratiam curioſorum, hujuſce Marinæ Belluæ Iconem exhibuimus, ac ſequentem deſcriptionem collegimus. *Ex nova Zembla monſtroſum animal eſt amphibium, bobus noſtratibus ubi adolevit interdum majus, cujus corium CCCC, aut D pondo pependiſſe ferunt, Bucca Vaccæ, niſi quod duos dentes prominentes, & ante recurvos habeat, cubiti nonnunquam longitudine, quorum uſus, & pretium ebori comparatur. Hæc animalia gregatim in terra prodeunt, littorumque montes ſcandunt, ſomni gratia dentibus ſe a rupe ſuſpendunt, ac ſe ſuſtinent, & adeo profunde dormiunt, ut piſcatores laqueis, & funibus vinctos comprehendant: inſectanturque propter ſolos dentes, ex quibus Moſci, Tartari; & in primis Turcæ, gladiorum, & pugionum manubria affabre faciunt.* Unde haud difficulter noſcitur, quam ad foſsile hoc noſtrum ſpectet illud, quod inſcripſimus, nomen; maxime cum ſupponamus cuneum C in ſuperiori

parte I capitis Marini Animalis, una cum duobus oſſeis proceſsibus B inſertum, & obtectum fuiſse carne, atque cartilaginibus K, quæ in foſsili hoc fragmento conſumptæ fuerunt, relictis tamen aliqualibus, quas deſcripſimus, reliquiis E.

Deſcendant tandem in arenam omnes Diluvianæ inundationis, ejuſque effectuum oppugnatores, ideaſque acuant ſuas, ut demonſtrent, qua ratione, qua via in Italiæ noſtræ Montes pervenire potuit hæc cetacei ſpecies, e tam remotis regionibus, nullo perfugio habito ad Terraquei Globi præfatam Cataſtrophem, ac diſſolutionem, cujus ſicuti hoc novum inventum, in ipſos invictus eſt teſtis, ita digniſsimum eſſe, ut tot aliis typis traditis enumeraretur, arbitrati fuimus. Non autem me latet, Bartholinum (*a*) hujuſmodi Animalis dentes foſsiles ad manus tres habuiſſe, unum apud Islandos in terra calcina-

(a) *Cent.* 3. *Epiſt.* 290. *Act. Haff. Vol.* 3. 181.

tum;

tum ; alterum in ſilicem converſum, e Paleſtina ; tertium alibi, e terra erutum, ac in interiori parte in pulverem redactum, integra ſervata tantum ſuperficie extrema ; ſed ex his circumſtantiis liquet, quantum diſcrepent illi dentes a deſcripto Foſsili noſtro. Et hæc ſunt, quæ ex Naturæ obſervationibus, Scripturæ Sacræ auctoritate roboratis decerpſi, ac de ſtatu Terræ Antediluvianæ, & Poſtdiluvianæ, necnon de Diluvio ipſo, occaſione novi hujus detecti Monumenti, exponere decrevi. Hoc vero maxime feciſſe fateor, ut aliis illicia præbeam, corporis animique oculis contemplandi hæc immenſa Mundi Theatri ſpectacula, e quibus quam maxime refulget Divini Opificis Omnipotentia, Providentia, ac Bonitas ; feci pariter amore allectus veritatis, quam mihi magis volupe eſt quærere, quam ullam gloriolam venari ; feci, & etiam, ut deſiderio obtempe-

ra-

rarem multorum amicorum exoptantium, quod omnia Diluviana Monumenta in vulgus efferantur, itaut hujuſmodi Hypotheſeos veritas magis ac magis eluceſcat. Doleo tamen, tam ſimplici, & rudi ſtylo hoc a me perpetratum fuiſſe; atque, ut promiſſæ brevitati indulgerem, plurimis in locis propoſitiones vix attigiſſe, nec quam par erat, in facti demonſtrationibus immoratum fuiſſe; cum præcipue ab hiſce, Botanices dilectiſsimum ſtudium me avocet, ut abſolvam, Plantarum Catalogum in agro Bononienſi indigenarum, ac in meo herbario aſſervatarum, cujus Prodromus brevi typis tradetur; quo peracto, ſi cum vita valetudo, & cum valetudine otium ſuppetat, quoque Catalogum omnium foſſilium, tum in Bononienſibus Montibus repertorum, tum e variis regionibus ab amicis acceptorum, Naturæ veſtigiis inſiſtens, conſcribam; ac in ipſo

ista-

iſtarumdem vindiciarum fundamina alia ſparſim ſuperaddam, in quibus ea omnia , quæ hic tantum perfunctorie ſcripſi , dilucidioribus argumentis oſtendam . Interim hæc prima , quæque ſint , levia ſtudiorum meorum conamina, ut æquo Lector aſpiciat oculo, ac benigno foveat animo, enixe rogo.

FINIS.

Vidit

Digitized by Google

Vidit Don Franciſcus Aloyſius Barelli Cleric. Reg. Cong. S. Pauli, Sancti Officii Conſultor, & Pœnitentiarius Sancti Petri Bononiæ pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, & Sac. Rom. Imp. Principe.


Die 21. *Januarii* 1719.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Caneti Provic. Sancti Officii Bononiæ.

99 9432 11

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google